

1897

H O M I L E T I C I.

1898

et f. et sp. f. Amen. Jungitur continuo Oratio ad D. Apolloniam. Haec quoque manu Sec. XIV.

DCCXCIII.

R. 525 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 115. 4. minute perscriptus, multisque vocum compendiis *Sermones* in Festa Domini, B. V. M. et Sanctorum per anni circulum, five Schemata potius *Sermonum* continet, initio capto a die S. *Andrae* in hunc modum: *Vestigia eius secutus est pes meus. uiam eius custodiui et non declinaui ex ea. Job. XXIII. Tria sunt necessaria cuilibet uiro perfecto. Primum quod christum sequatur per bonam uitam. Secundum quod ipsam custodiat per finalem perseveranciam. Tertium quod ab ea nunquam declinet per aliquam culpam. Ista tria beatus andreas se fecisse gloriatur &c. Fol. 44. pro die Parasceves ita orditur Noster:*

*Pastor, arator, eques paui, seui, superavi
Capras, rura, hostes, queque labore graui.
De capris pastis, de rure sato, hoste subacto
Nec lac, nec segetes, nec spolia ulla tuli.*

Additur hiuleis et mendosissimis versibus ad calcem *Historia Denariorum*, quibus venditus est Christus, quique ab *Affyrriorum* Rege *Nino* cusi per varios casus tandem in agrum partim *Figuli*, partim in mercedem *Militum* sepulcri custodum cessere.

*Annunciate inter gentes studia eius. Ps. 9. Verba prophete alloquentis predicatorum ut adnuncient populis opera studiosa que hodie representat ecclesia. Primum quod campane non pulsantur ex eo, quod omnes campane hodie siluerunt. Christus enim habuit XII. apostolos quasi XII. campanas. sed una illarum scilicet iudas fracta fuit, quia suspensus crepuit medius. alia fuit grossa scilicet petrus, que semel tam altum sonum dedit, quod super angelos auditum fuit, quando dixit Math. XVI. Tu es christus filius dei &c. sed hodie sonum perdidit, quia christum confiteri ausus non fuit &c. Ita et Mariam et Christum campanas facit, huncque in crucem tanquam in campanile tollit. Fol. 111. p. 2. comminiscitur *Virgilium* circa finem vite sue 4 versus fecisse dolentem, se in tribus Operibus incassum laborasse, et en illos:*

DCCXCIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3156 XIV. Folior. 96. 8. commode perscriptus, minio distinctus, in Theca anteriore ita praenotatur: *Hunc libellum testatus est Monasterio sancte dorothee wienne dominus Erhardus grutsch de marichbekg Confessor ad sanctum Jacobum, nempe Canoniarum Regular.*

H 2

lar.